



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 25. Ravechetus Parisinæ Facultatis Theologicæ Syndicus in exilio  
mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII.  
A. C. 1717.

§. XXV.

*Ravecheti Parisinæ Facultatis Syn-  
dici obitus.*

*Dovsann.  
Journal  
pag. 331.  
& 361.*

Postquam die quinta Martii Ravechetus Sorbonæ Doctor & Facultatis Parisinæ Syndicus ob temerarios suos ausus Regio edicto Briacum Britannicæ Superioris oppidum exulare iussus erat, die prima Aprilis ex Parisina urbe e-jectus, continuato itinere ad Rhedones pervenit, ubi periculoso morbo, velut pedissequo suæ rebellionis vindice, correptus, ad S. Melaniæ Abbatiam deferebatur. Paulopost horridis stranguriæ doloribus cruciatus, mors suæ horam appropinquare senserat: Ut vero, qualis in vita fuerit, vivo cordis sui testimonio profiteretur, die decima quinta Aprilis sequens scriptum reliquit:

„Credo omnes veritates a Christo  
„Domino Ecclesiæ suæ revelatas, in  
„cujus gremio per Dei gratiam Bap-  
„tatus semper vixi & mori volo, qua-  
„cum etiam omnes, quos ipsa damnat,  
„& damnatura est, errores condemno.  
„Veneror summum Pontificem, Epi-  
„scopum Romanum tanquam D. Petri  
„Successorem, Primum Christi Domini  
„Vicarium, visibile ejusdem Ecclesiæ  
„Caput: Veneror Sedem Apostolicam



„tanquam centrum unitatis, a qua sese Sæc. XVIII.  
 „separare nunquam licet, etsi Papa a A. C. 1717.  
 „sacra doctrina deviet. Ex toto corde  
 „omne schisma & dissensionem detestor:  
 „idem sat manifeste in appellatione  
 „mea ad futurum Concilium generale  
 „testatum reddidi, & ipsa etiam  
 „Facultas nostra in famosis articulis  
 „contra Lutheri errores Anno 1542.  
 „professa est. In hac fidei declaratione  
 „mori cupio &c., Facta hac fidei pro-  
 „fessione postremis Ecclesiæ muniri ef-  
 „flagitans sacramentis, die vigesima  
 „quarta Aprilis decessit: receperat prius  
 „publice sacrum Viaticum, extremam-  
 „que unctionem nullo reclamante, præ-  
 „ter Jesuitarum Rectorem, qui cum Pa-  
 „rocho, eoquod hic defunctum quoque  
 „in Ecclesia PP. Benedictinorum ad S. Me-  
 „laniam sepeliri admiserit, excoꝛtulaba-  
 „bat, qui tamen se cuncta ex Domini  
 „Perrini Vicarii Generalis Rhedonensis  
 „mandato egisse, Rectori reposuit. Quid Vid. supra  
 „ad hæc dixisset Brietius, & pro eo qui tom. 55.  
 „dam Anonymus. Spargebant Moli- pag. 717.  
 „nistæ, quod Ravechetus suam appel-  
 „lationem revocarit, qui tamen habita  
 „hujus rumoris notitia ipsemet adhuc  
 „viva superstes coram Notario cuncta,  
 „quæ in Sorbona egisset, confirmavit:  
 „dissipato hoc rumore rursus incerto ser-  
 „mone jactabant, Rhedonensem Episco-  
 „pum



Sæc. XVIII  
 A. C. 1717  
 pum Vicariis suis per literas injunxit, ut Ravechetum ab immolanda cælesti hostia arcerent, procurarentque, ut quamprimum urbe excederet: alii nil propius esse vulgabant, quam ut defunctus utpote excommunicatus exhumaretur: Verum se ejusmodi mandatum dedisse, pernegabat Episcopus, rumorisque falsitatem manifestabat eventus. Paulo post in lucem prodire *observationes in fidei professionem Ravecheti Syndici ad PP. Benedictinos Congreg. S. Mauri inscriptas*, quarum Author Syndicum velut hæreticum ac schismaticum ab æternæ salutis spe exclusit, atque in eos, qui illum immodicis laudibus cumularunt, invectus, appellationem a sententia in rebus temporalibus, non autem a Constitutionibus dogmaticis legitimam esse ostendit. Has vero observationes Britannus Procurator Generalis in publico Parlamenti confesso confutare aggressus, Ravechetum tanquam Virum virtutibus, & morum integritate longe celeberrimum, & Noallium velut illustrem Ecclesiæ Gallicanæ defensores deprædicabat.

## §. XXVI.

*Pontificis studium in promovenda Constitutionis suæ acceptance.*